30

10.

9o / 10 / 72

Americh in ortum 72 6.

O mieczre nowi co tko chce
Kupię ia trzewiki Zofce

[illegible] ubarat [illegible] 60

90
15 10 23
---
105 10 23

PRAXIS.

TRIGONOMETRIÆ LOGARITHMICÆ

Cum Logarithmorum Tabulis ad Triangula tam Plana quam Sphærica sufficientibus.

Ad commodiorem usum præceptis brevibus & perspicuis hoc Manuali comprehensa.

à

M. PETRO CRüGERO REIP. Dantiscanæ Mathematico.



DANTISCI.

Apud ANDREAM HûNEFELDT.

Anno M.DC.XLVIII.

Viris genuinæ Matheseos amantissimis,

NOBILI ET AMPLISSIMO DOMINO

JOHANNI ERNESTO SCHRÖERO,

DANTISCANÆ REIP. METROPOLitanæ Senatori, exquisitâ eruditione sapientiâq; clarissimo;

&

SPECTABILI AC PRUDENTISSIMO DOMINO

JOHANNI HECKERO,

Ejusdem Reipubl. Palæopolitanæ Scabino, literatâ integritate ornatissimo,

LOGARITHMICUM HOC MANUALE

sacrum esto.

AD LECTOREM.

Quantum sit, Lector Philomathes, calculi Trigonometrici compendium, evitatâ prolixâ multiplicatione ac divisione Quæsitum apprehendere solâ additione & subtractione, non est ut quicquam edisseram, cum res ipsa loquatur. Id verò ante annos circiter 20. singulari beneficio divino studiis Mathematicis datum est, Inventore Illustri JOH. NEPERO, Barone Scoto, Viro vel ob id unicum (si cætera deessent) immortali laude dignissimo, excogitatis ab eo numeris illis mirabilibus, qui *Logarithmi* dicuntur, hoc est, *numeri proportionum*, sive proportionalium vicem obeuntes, aut *rationum Indices*, aut, interprete Kepplero, *incommunicabilium proportionum communes mensuræ*. Edidit Illustris Inventor eos Canone, quem sic vocavit, mirifico ad singula quadrantis minuta compositos Anno primùm 1614. Edimburgi, non additâ tunc compositionis ratione, donec, ut ipse ait, eruditorum his de numeris judicium cognosceret. Mirum autem, quàm gratus hic mirificus Canon statim fuerit eruditis Mathematicis. Itaq; CL. BENJAMIN URSINUS eum formâ minori (qualis hæc nostra est.) ad minorem etiam Radium, cum compendiosis Præceptis, recusum publicavit Anno 1618. Vir etiam excelsissimi ingenii JOH. KEPPLERUS, triennio pòst, Logarithmorum demonstrationem & constructionem molitus est, eorumq; chiliadem ad numeros absolutos mille ordine naturali succedentes construxit, & ab eo tempore Logarithmos in novas Tabulas Rudolphinas, propediem tunc edendas, invexit. Interim secuta est altera Canonis mirifici editio Lugduni Galliæ Anno 1620. cum ratione constructionis, â benevolâ manu Roberti Neperi, primi inventoris, jam tum vitâ functi, Filii. Hac editione prælucente non ante quievit URSINUS quàm pertinaci labore novum ejusmodi *Logarithmorum magnum Canonem* ad dena minuta secunda & Radium 8. cifrarum construxit, cumque absoluta Trigonometria, tam vulgari quam Logarithmica, magno bono edidit Anno 1625. Opus æstimationis immensæ, si vitia typographica (quæ commis-

ſa ſunt in eo longè plura quam indicat eorum catalogus)excipias. Atq; hæ recenſitæ hactenus tabulæ logarithmicæ omnes præſupponunt Radii ſive maximi Tabulæ numeri logarithmum o: logarithmum verò Initii Tabulæ, infinitum.

Verùm NEPERUS triennio poſt editionem Logarithmorum primam in Epiſtola dedicatoria ſuæ Rhabdologiæ, mentionem jam fecerat alterius formæ Logarithmorum à ſe inventæ quæ multò præſtantior eſſet priori: pollicitus etiam eorum elaborationem quam commendârit Viro præſtantiſſimo HENRICO BRIGGIO Profeſſori Londinenſi: conſtructionis etiam fundamenta paterna publicavit Robertus Neperus, ſubjunctа editioni ſecundæ Canonis mirifici ſuprà memoratæ. Opus autem promiſſum cum viginti & unâ chiliadib. Logarithmorum ad numeros totidem abſolutos bono publico edidit Londini BRIGGIUS: poſt BRIGGIUM chiliades reliquas explevit & integras centum, una cum Sinuum ac Tangentium Logarithmis, ad eandem formam conſtructis, copioſo volumine ad grandem numero Radium publicavit Anno 1628. Vir exercitatiſſimus & laborioſiſſimus ADRIANUS VLACCUS Belga. Succeſſit huic operi poſt quinquennium Trigonometria Britannica, æquè grandi volumine, continens, præter aurea præcepta & inventa Logarithmica, 1. Logarithmos ad graduum quadrantis non ſcrupula ſexageſima ſed particulas centeſimas, 2. Logarithmos alios ad quadrantis dena ſecunda, 3. Chiliades Logarithmorum 20. ad totidem numeros abſolutos. Hæc forma logarithmorum poſterior à Nepero inventa & ab his Viris elaborata præſupponit Unitatis logarithmum o: inde facto logarithmorum continuo incremento: ſic ut logarithm⁹ denarii fiat 1000. &c. logarithmus centenarii 2000. &c. logarithmus millenarii 3000. &c. myriadis 4000. &c. & ita in infinitum.

Habet hæc forma poſterior id commodi inter cætera, ut calculatorem liberet à reſpectu ſignorum coſſicorum + & — quæ in priori ſunt: id quod minùs exercitati vice grandis lucri habere poſſint. Præterea numeri cujuſcunq;, qui ſaltè non ſuperet numerū 100000. logarithmus in volumine Vlacci præſto eſt. Hic

Hic itaq; reddenda videtur ratio, 1. Cur post tot præstantiss. Virorũ opera consummata paucis hisce pagellis imperfectiorib. (ut quarum Tabula prima vix 10. chiliadas logarithmorum continet, nec adjunctas habet proximorum differentias) ausim prodire in publicũ. 2. Cur formam logarithmorum elegerim priorem præ posteriori, qua tamen illa prior cum signis suis cossicis antiquari posse videatur. Ad utrumq; tribus respondeo verbis. Primò libellum hunc formavi, ut esset Manuale meorum discipulorum & familiarium usibus: quod tamen hortatu multorum concedo nunc usibus publicis, cum certum sit, non cuivis esse commodum, occupari spaciosis voluminibus. Rarissimè extra Astronomiam latera Triangulorum planorum dantur aut inveniuntur numero myriadem excedente. Si tamen aliquando tanta, docetur & hîc ratio convenientium logarithmorum expedita: Cum logarithmorum differentiæ non difficulter apprehendantur. Deinde formam logarithmorum priorem elegi propterea, ut hujus Manualis Tabula secunda (cui reliquas obsecundare necesse est) simul foret accommodata Tabulis Astronomicis Rudolphinis in calculo prosthaphæreseon Orbis, Latitudinum, parallaxiũ &c (Lansbergianas non moror, ut quæ nec ipsæ morantur Logarithmos aut calculũ prosthaphęreseõ orbis &c. Trigonometricum, contentæ barbito veteri Excessus & scrupulorum proportionalium.) Neq; enim Rudolphinas deprehendo mereri, ut è manibus Astronomorum excutiantur, substitutis Lansbergianis. Quod ad signa, cossica + & −, non est eorum Arithmetica tam morosa quam vulgo æstimatur, velut infrà suo loco ostenditur. Hæc igitur est instituti mei ratio.

Cæterum universam Trigonometriam theoreticam vel etiam fundamenta logarithmica hic non inculco (quærantur hæc in *Nepero* & Ursino) contentus manuali portatili inclusisse Præcepta practica, quæ sic spero me tradidisse, ne quid restet, quod logarithmorũ amantẽ absterreat aut remoretur. Hoc unum autẽ hortor juniores, ne, compendio Logarithmico famâ cognito vel primis labris delibato, dedignentur addiscere theoriam Trigonometriæ Veteris: cum è regulis calculi veteris ritè percipiantur & jucundiùs tractentur regulæ logarithmicæ. Cogitent illud Platonicum huic vestibulo inscriptum:

οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω.

PRÆ-

PRÆCOGNITA
DE LOGARITHMORUM NATURA, DISPOSITIONE ac tractatione.

LOgarithmi ſunt numeri artificiales, loco vulgarium proportionalium ſubſtituti, ad evitandam in proportionum regula multiplicationem & diviſionem.

Axioma generale praxeos hoc eſt; *A ſumma Logarithmorum ſecundi & tertii ſubtractus logarithmus primi relinquit logarithmum quarti quæſiti.*

Dentur tres numeri 256. 2375. 184. & quæratur quartus proportionalis. E tabula logarithmorum prima logarithmus ſecundi eſt 143758.

logarithmus tertii	399540.
Summa.	543298.
logarithmus primi eſt	366516. Subt:
	176782.(1707.

De fractionibus poſtea dicemus.

Logarithmorum in tabulas digeſtorum ea eſt natura, ut ab infinito ſenſim decreſcant in nihilum adeoq; primus ſive minimus Tabulæ numerus habeat logarithmum maximum, ultimus ſive maximus habeat logarithmum o.

Hinc in Tabula logarithmorum Neperiana, ad ſingulos canonis Trigonometrici ſinus conſtructâ, Logarithmus ſinus totius eſt o: omnium autem nu-

merorum canonicorũ ſinu toto minorum logarithmi ſunt majores nihilo, notanturq; ſigno coſſico + (id eſt plus) vel nullo, unde tales logarithmi vocantur *Abundantes* ſive *Poſitivi*. Omnium contrà numerorum canonicorum ſinu Toto majorum logarithmi ſunt nihilo minores, & notantur ſigno coſſico — (id eſt minus) Unde tales logarithmi vocantur *Defectivi* ſive *Privativi*.

Conſequenter omnium præter Totum Sinuũ, ut & omnium ſemiquadrantis prioris Tangentium (præter earum ultimam) Logarithmi ſunt Abundantes ſive Poſitivi: Tangentis 45 completorum graduum logarithmus eſt o: omnium autem ſemiquadrantis poſterioris Tangentium, ut & omnium omninò Secantium, Logarithmi ſunt Privativi ſive Defectivi.

Hinc etiam primæ noſtræ Tabulæ logarithmi, quoniam à logarithmo maximo decreſcunt ad finem Tabulæ in o, omnes ſunt Abundantes ſive Poſitivi.

Tabulæ Logarithmicæ calculo Trigonometrico ſervientes duæ ſunt principales: prima numerorũ abſolutorum ordine naturali ſuccedentium, pro lineis rectis ſive Triangulorum Planorum lateribus; altera graduum & ſcrupulorum pro angulis tam planorum quam Sphæricorum, ut & pro ſphæricorum lateribus.

Etſi enim, quod Vrſinus vult, etiam per ſinus logarithmi numerorum abſolutorum acquiri poſſunt, tamen acquiſitio iſta non eſt adeò promta. Præſtat loco ſinuum adhibere Tabulam peculiarem, quæ numeri abſoluti logarithmum exhibeat paratum.

His duabus adjunctæ ſunt aliæ duæ, minus quidem principales & tantum partiales, ſed in Aſtronomia magni uſus ad latera Triangulorum Sphæricorum exilia.

Logarithmi & mesologarithmi ad dena secunda primi gradus magnas habent differentias, ut ex Ursini opere patet: ac proinde morosa est partis proportionalis intermediorum secundorum inquisitio. Visum itaq; fuit primi gradus Logarithmos extendere ad singula secunda: id quod pro Latitudinibus Planetarum & parallaxibus est expeditissimum. Contrà primi gradus Antilogarithmi, etiam ad dena secunda ab Ursino supputati, minimas & interdum nullas habent inter se differentias, ac proinde Antilogarithmorum secundis intermediis competentium inquisitio sepè non datur satis pręcisa. Proinde CL. Bartschius, magni Keppleri gener, primi gradus Antilogarithmos extendit ad bina secunda: cujus propterea Tabulam, paulò tamen commodiùs dispositam, subjungere libuit.

Tabularum nostrarum dispositio hæc est.

In Prima, quæ comprehenditur octernionibus A, B, & C, Numerorum vulgarium centuriæ completæ occupant paginarum Frontes, notæ supra centurias reliquæ (*compositos* vocant Arithmetici) margines sinistros. Cumq; unius paginæ margo omnes intra 1. & 100. numeros complecti nequeat, singulis centuriis attributæ sunt paginæ ternæ, adinstar Tabulæ Tetragonicæ Magini & Berneggeri, exceptâ paginâ ultimâ, quæ centurias myriadis ultimas seorsim exhibet. Area vero Tabulæ continet logarithmos competentes, eosq; omnes Abundantes.

In Secunda, quæ comprehenditur octernionibus 6. sequentibus, paginæ binæ conplectuntur singulos gradus & graduum scrupula: paginæ singulæ margines habent geminos. Margo sinister habet scrupula prima gradui suprà notato adhærentia, deorsum ordine succedentia: Margo dexter habet scrupula prima gradui infrà notato adhærentia, sursum ordine ascendentia. Marginis autem alterutrius gradus & scrupula sunt marginis alterius graduum & scrupulorum complementa ad

Quadrantem, ut è vulgari ſinuum &c. Tabula perſpicuum eſt.

Areæ verò paginarum continent logarithmos tribus columnis diſtinctos. Extrema quæq; columna (dextra vel ſiniſtra) continet logarithmos marginis proximi gradibus & ſcrupulis competentes, & è regione extrema columna altera logarithmos complementi, ſeu, ut hodie uſitatè vocantur, *Antilogarithmos*. Media verò columna continet numeros logarithmicos, qui appellantur *Meſologarithmi* ſive *Differentiales*: qui ſi ſint graduum & ſcrupulorum marginis ſiniſtri, ſunt Abundantes & adſciſcunt ſignum +: ſin fuerint graduum & ſcrupulorum marginis dextri, ſunt Defectivi & adſciſcunt ſignum —: id quod hæc ſigna ſuprà notata indicant.

Differentiales *hi logarithmici numeri vocantur, quia nihil aliud ſunt quam Differentia reſpondentium utrinq; logarithmorum.*

Appoſitæ inſuper heic ſunt omnibus omnium columellarum numeris differentiæ, pro expedita partis proport: inquiſitione: Meſologarithmis quidem omnibus pro denis ſecundis, logarithmis autem pro 10. ſecundis quidem uſq; ad gradum completum 67. Inde, quoniam exiguæ fiunt, uſq; ad finem quadrantis, appoſitæ ſunt integræ.

In Tabula Tertia paginæ binæ exhibent in fronte ſcrupula primi gradus Prima, marginibus ſuis ſiniſtris ſcrupula adhærentia Secunda ſingula: in Area logarithmos competentes: in calce particulas logarithmis detrahendas, pro habendis eorundem Secundorum Meſologarithmis.

In Quarta paginæ ſingulæ præbent fronte Scrupula itidem prima, marginibus ſiniſtris ſcrupula adhærentia ſecunda bina, numero paria: Areâ, com-

petentes Antilogarithmos: calce, binorum proximorum Antilogg. Semidifferentias, pro habendis promtè imparium secundorum Antilogarithmis.

Talis, inquam, est Tabularum Dispositio: ipsorum vero logarithmorum tractatio generalis tribus constat membris; Excerptione, operatione arithmeticâ, & Quæsiti per eos determinatione.

In omnibus autem hisce Tabulis non omnium & singulorum numerorum logarithmicorum initales notæ sunt expressæ, præterquam in cellularum principiis, & ubi mutantur: quod in excerptione observandum.

EXCERPTIO LOGARITHMORUM.

I. TABULÆ PRIMÆ

1. Dati numeri vulgaris sive absoluti integri, myriade sive numero 10000. minoris, logarithmum excerpere.

Dati numeri centurias quære in fronte, reliquas ejus notas in margine sinistro: communis angulus, ut in antiqua sinuum (vel quadratorum) Tabula, exhibet logarithmum quæsitum.

Ut numeri dati 3854. centuria 3800 in fronte & 54 in margine ostendit in area (sub titulo fronta 3800. & e regione marginali 54.) logarithmum competentem 95347. Non enim negligendæ sunt notæ initiales in principiis cellarum circumstantibus: Velut paulò ante monitum est.

2. Dati numeri vulgaris integri cum adhærentibus decaleptis sive scrupulis denariis (ne tamẽ characteres complicati excedant myriadem) competentem logarithmum excerpere.

Cum

Cum numero integrorum & scrupulorum complicato, ac si essent characteres unius numeri integri, fiat exceptio, ut antè.

Sit numeri integri 534, & 7 decaleptorum, excerpendus logarithmus. Complicetur integer cum adhærentibus decaleptis, ut fiat quasi totus integer 5347. Hujus priori modo inquisitus logarithmus est 62603.

/ //
Sic numeri 64.3.4.(*sive* 6434.) logarithmus excerpitur 44097. *In ejusmodi vero casibus ante operationem Arithmeticã attendendus est & alter numerus proportionalis, ut suo loco dicetur.* Hinc licet etiam

3. Datis numeri solis decaleptis sive scrupulis denariis logarithmum eorum exhibere.

Ne tamen decalepta extendantur ultra Quarta. Et ociosa plerumq; est ulterior subtilitas. Sunto igitur

/ // /// ////
4 6 8 3. Dissimulatis apicibus fiat numerus instar integri 4683, Cujus logarithmus 75863.

4. Dati numeri absoluti integri myriade majoris logarithmum excerpere debitum.

In ipso quidem Triangulorum (planorum) calculo latera rarò occurrunt tanta exceptis Triangulis Planetarum prosthaphæreticis, quorum tamen latera vel laterum logarithmi in Tabulis singulorum planetarum præstò dantur. In aliis Triangulis si tantum, si fortè, latus sese offerat, posset ad calculum adhiberi ejus semissis vel triens vel quadrans &c. Et absoluto calculo Quotus duplicari, triplicari &c. Sed ne dati uumeri dimidiatio vel tripartitiv sit molesta (præsertim numero sic non divisibili) sic agatur:

Datus numerus curtetur unâ vel pluribus notis finalibus, donec reliquæ sint myriade minores. Tum istarnm reliqnarum excerpatur logarithmus: & abscissæ nota vel nota (nisi fuerint meræ cifræ sive 0.00 &c. multiplicentur in differentiam logarithmi excerpti & proximè mi-

noris

noris sive sequentis: productum vicissim tot notis finalibus, quot à numero dato resecabantur, curtetur: reliqua sunt pars proportionalis, semper ab excerpto logarithmo subtrahenda, ut evadat logarithmus limitatus sive quæsitus.

Nam si à numero dato resectæ fuerunt notæ finales	*unà,* / *duæ,* / *tres,* / 4 / 5 / 6 *&c.*	*sicut se habent*	10 / 100 / 1000 / 10000 / 100000 / 1000000	*ad differentiam logarithmorum*

excerpti & proximè minoris: ita notæ resectæ se habent ad partem proport: notis istis competentem.

Detur primùm absolutus 564200. Curtandus hic est notis finalibus duabus, ut curtatus evadat 5642. Hujus logarithmus 57234 est logarithmus quæsitus: non enim nisi meræ 00. resectæ sunt.

Detur deinde 5642348. curtatus (tribus notis finalibus) fit 5642; cujus logarithmus 57234. Differentia à log. proxime sequente sive minore est 18. qui multipl: in abscissas 348 producit 6254; abjice vicissim tres finales, & restat pars prop. 6. subtrahenda à log. excerpto. ita relinquitur genuinus 57228. *Atq; hæc methodus etsi videtur extra oleas vagari, tamen certis cautelis in calculo proportionum eò redigitur, ut exhibeat verum quæsitum, velut suo loco ostendetur.*

5. Dati numeri absoluti integri cum adhærentibus scrupulis denariis, ita ut vel integer solus, vel cum scrupulis complicatus, myriadem excedat, genuinum definire logarithmum.

Si integer solus myriade minor sit, excerpatur primùm ejus logarithmus: deinde per differentiam logarithmi excerpti & proximè sequentis quæratur pars proportionalis scrupulis adhærentibus debita, non secus ac regula proximè

præce-

præcedente: hac ſemper ſubtracta à logarithmo excerpto relinquit logarithmum quæſitum.

Quæratur logarithmus numeri 1265. 45. Numero integro 1265 competit logarithmus 206752. Differentia ejus & proxime ſequentis eſt 79, quæ multipl. in ſcrupula adhærentia 45, producit 3555. rejice finales duas, remanet pars prop. 35 ſubtr. Logarithmus igitur limitatus fit 206717.

Si integer ipſe jam excedat myriadem, totus cum adhærentibus ſcrupulis complicetur, ut ſint omnes characteres velut ſimplicis numeri integri: ac tum complicatus curtetur, curtatiq; logarithmus per partem prop. abſciſſis debitam limitetur, ut ſuprà factum.

Quæratur logarithmus Numeri 21265. 45. Complicetur, ut fiat quaſi integer 2126545. Curtati 2126 (tres enim finales reſecandæ, ut reſtet minus myriade) logarithmus eſt 154834. Diff. â ſequente eſt 47, quæ multipl. in reſectas 545 producit 25615. Pars itaq; prop. eſt 26. (*idem enim hîc, quod in ſinibus aut aliis numeris Canonicis, obſervandum, quotieſcunq; rejectorum character ſiniſterrimus quinario major eſt*) & logarithmus limitatus 154808.

Deſiderabit hic lector vice verſâ regulas, Dati logarithmi numerum vulgarem explorandi: ſed has inveniet membro tertio, quo docetur Determinatio Quæſiti.

II. TABULÆ SECUNDÆ ET RELIQUARUM.

Dati arcus aut anguli numerum Logarithmicum excerpere.

Si datus arcus aut angulus conſtet tantum gradibus & ſcrupulis ſexagenariis primis; Numerus graduum in fronte & numerus ſcrupulorum in margine ſiniſtro, vel numerus graduum in calce & ſcrupulorum in margine dextro, oſtendunt in columella proximè adjacente quæſitum

tum logarithmum; in columella extrema altera Antilogarithmum sive logarithmum complementi: in columella intermedia mesologarithmum, cum signo ad marginem datorum graduum & scrupulorum vergente, h. e. + si datus graduum numerus nondum complet 45 gr. Sed — si datus graduum numerus 45 gr. superat.

Satis perspicua & facilia sunt hæc illi, qui Trigonometriæ vulgaris non penitus est rudis. Detur arcus aut angulus 18 gr. 34 scrup. Logarithmus ejus invenitur 114442, logarithmus complementi sive antilogarithmus 5345, mesologarithmus 109097 +. Antimesologarithmus 109097 — Idem enim est Mesologarithmus dati arcus & complementi, mutatis tantum signis cossicis + & —.

2. Sin gradibus & scrupulis primis adhæreant etiam secunda, quæratur per differentiam appositam pars proportionalis, more aliarum Tabularum vulgato. Sed tamen hæc pars proportionalis in logarithmis semper est subtractoria, id est, semper logarithmo scrupulis primis competenti subtrahitur; in mesologarithmis etiam priorum 45 graduum est subtractoria, in posterioribus autem adjectoria.

Detur arcus 34°. 25′. 42″. Quæratur ejus logarithmus, mesologarithmus, & antilogarithmus. Gradibus & scrupp: primis competit logarithmus 57056. Diff. ejus & sequentis pro 10 secundis est 7. Si ergo 10 secundis competunt 7, 42 secundis competit p. proport. 29. subtr. logarithmus igitur limitatus est 57027. Mesologarithmus gradibus & scrupulis primis competens est 37813 +. Diff. pro 10 secundis est 10. igitur pars proportionalis etiam est 42. subtr. Et Mesologarithmus limitatus evadit 37771 +. Antilogarithmus scrupulis primis competens est 19263 (*cum enim adsint secunda, complementum non est integrorum primorum 35. sed tantum 34.*) Differentia 10 secundis competens est 3. igitur 42 secundis competit pars proportionalis 13, subtr. Et Antilogarithmus limitatus erit 19250.

Quæ-

Quæratur autem Mesologarithmus arcus 54°. 47′. 52″. Mesolog. graduum & scrupp. primorum est 34834—. Diff. pro 10 secundis est 10. itaq; p. prop. scrupp. 52 secundis competens est 52. Add. Mesologarithmus igitur limitatus est 34886—.

3. *Quod si datus arcus non superet integrum gradum, partis proportionalis inquisitione non est opus. In Tabula enim Tertia quærantur scrupula prima in fronte, & secunda in sinistro margine, communis concursus exhibet competentem logarithmum; Sin quæratur mesologarithmus, numerus in calce columellæ (scrupp. primis attributæ) detractus ab ejusdem arcus logarithmo relinquit verum mesologarithmum, semper abundantem sive cum signo +; Si deniq; desideretur Antilogarithmus, adeatur eodem modo Tabula Quarta; & si numerus datorum scrupp: secundorum sit impar, semidifferentia columellæ Primorum subjecta semper Antilogarithmo datorum secundorum parium addita constituit Antilogarithmum quæsitum. Et hoc in hac quidem Tabula usq; ad arcum scrupp: primorum 40 supra integrum gradum.*

Exempli gratiâ quæratur logarithmus &c. competens 39′. 35″. In Tabula Tertia logarithmus statim reperitur 446418. Pro mesologarithmo reperiuntur in calce 6. à logarithmo subtrahenda; ita mesologarithmus ejusdem arcus est 446412 +. Deniq; in Tabula Quarta Antilogarithmus 39′. 34″. competens reperitur 6.624. cum semidiff. in calce 5. Add. Proinde Antilogarithmus 39′.35″. competens est 6629.

Observandum, paginam Antilogarithmorum primam continere antilogarithmos ad Radium non 8 cifrarum, ut paginæ reliquæ, sed 9 cifr: imò primam columellam ad 10. Proinde si logarithmorum unus quidem excerpatur è pa-

gina

gina prima, alter ex una reliquarum, attendatur genuina subordinatio, ut scilicet punctum interstinctionis unum directè subordinetur alteri. Et potest ante subordinatorum additionem vel subtractionem antilogarithmus primæ paginæ à fine decurtari, ut post punctum tot illi restent notæ, quot antilogarithmo alteri.

Tantum de Logarithmorum Exceptione; sequuntur

LOGARITHMORUM SPECIES ARITHMETICÆ.

Species Arithmeticæ Logarithmicæ tantùm duæ sunt, Additio & Subtractio.

Utraq; si numeri sint è sola Tabula prima, perficitur more vulgari. Fit tamen interdum ut offeratur subtrahendus major reliquo, â quo subtrahi debeat. Ac tum huic addatur aliquis horum numerorum (quos Adscititios appellare libet) quò subtractio fieri possit: 230258. 460517. 690775. Subtractione deinde peractâ quid residuo fieri debeat, infrà docebitur. Vide pag. 24

E. g. à logarithmo 23236. sit subtrahendus 102176. Adde priori 230258. (hæc enim sufficiunt) à summa 253494 jam subtrahe 102176, restant 151318.

Quid propriè sint hi numeri adscititii, & unde nascantur, docet ex indicio Neperi Ursinus lib. 2. Trigonometr: c. 15. pag. 222.

Sin depromti sint numeri vel è sola Tabula secunda, vel partim è secunda, partim è prima; tam Additio quam Subtractio attendenda est Cossica signis + & −.

Regulæ Additionis & Subtractionis hæ sunt.

ADDERE

Logarithmos signorum { *Similium, est summam eorum cum signo communi* / *dissimilium, est differentiam eorum cum signo majoris* } *exhibere.*

Exempla similium:		Exempla dissimilium:	
5304+	2567−	5304−	2567+
7635+	6723−	7635+	6723−
12939+	9290−	2331+	3156−

SUBTRAHERE

Logarithmos signorum {
- *similium* { *minorem à majori* / *majorem à minori* } *est differentiam eorum cum signo* { *communi* / *contrario* } *exhibere.*
- *dissimilium* { *abundantem à defectivo,* / *defectivum ab abund.* } *est summam eorum cum signo* { − / + } *exhibere.*

}

Exempla similium:		Exempla dissimilium	
7635+	5304+	5304−	7635+
Subtr. 5304+	S. 7635+	S. 7635+	S. 5304−
2331+	2331−	12939−	12939+

In inquirendo tamen latere alicujus Trianguli plani si logarithmus subtrahendus sit major logarithmo signi similis, præstat huic addere aliquem numerorum supradictorum 230258. 460517. ne scilicet aliquando post subtractionem relinquatur logarithmus Defectivus, qui ostendendo è Tabula Prima lateri ineptus est. Qua de re & infrà in proportionibus Trigonometricis.

Restat nunc horum Præcognitorum Membrum Tertium, nempe DETERMINATIO QUÆSITI.

Quæritur in Trigonometria vel angulus vel latus. Et in Triangulis quidem sphæricis tam latera quam anguli determinantur gradibus & scrupulis. Proinde operatione per logarithmos peractâ nullo negocio Quæsita inveniuntur. Nimirum

Inventus ex operatione logarithmus aut Mesologarithmus quæratur in Tabulæ secundæ convenientis tituli columella: qui si adsit exactus, margine debito ostendit scrupula prima; & supra vel infra hæc scrupula, gradus.

Margo debitus est, logarithmo quidem proximus, antilogarithmo remotissimus, mesologarithmo ille, ad quem inclinat signum ex operatione logarithmica inventum. E. g. sit inventus ex operatione logarithmus 26311, erit ejus arcus 50 gr. 14. scr. Sed si debeat haberi pro antilogarithmo, erit ejus arcus 39 gr. 46 scr. Sic si quæratur arcus respondens mesologarithmo 59966+, erit is 28 gr. 46 scr. quia signum + est à parte sinistra & ita inclinat ad marg. sinistrum: at si fuerit 59966—, erit ejus arcus 61 gr. 14 scr. quia signum — inclinat ad marginem dextrum.

Si non inveniatur exactus, in logarithmis quidem differentia ejus à logarithmo proximè majori (majori inquam, non minori) ante completum gradum 67 multiplicetur per 10, post gradum 67 per 60, productumq; dividatur per differentiam logarithmorum proximè majoris & minoris in tabula appositam; Quotus ostendit scrupula secunda, Primis logarithmo majori respondentibus apponenda: In Mesologarithmis priorum 45 graduum eadem est secundorum inquisitio; sed in posterioribus 45 gradibus quæratur differentia Mesologarithmi nostri à

mesolog. proximè minori, & inventa deinde, ut antè, scrupula secunda apponantur minutis primis Mesologarithmo minori respondentibus.

Sit logarithmus 92225, quæratur ejus arcus. Logarithmus proximè major in Tabula secunda est 92277 & hic competit 23 gr. 25 scr. Differentia 10 scrupp. competens ibidem asscripta est 11. Differentia logarithmorum mei & prox. majoris est 52. Colligo: 11 dant scrupp. secunda 10, quot 52? f. 47. Igitur arcus quæsitus est 23 gr. 25 scr. 47. sec.

Sit deinde logarithmus 3556 & quæratur ejus arcus. Logarithmo proximè majori respondent 74 gr. 48 scr. Differentia à logarithmo scrupuli proximè sequentis asscripta est 8. Hæc sc. competit 60 secundis, quot ergo secunda requirit differentia logarithmi nostri & proximè majoris, quæ est 5? resp. 37. Arcus igitur quæsitus 74 gr. 48 scrupp. 37 sec.

Sit Mesologarithmus 62550—+ Quis ejus arcus? Mesologarithmus proximè major (inclinat enim signum —+ versus marginem sinistrum, adeoq; versus gradus & scrupula semiquadrantis prioris) 62605 —+ ostendit 28 gr. 8 scrupp. Differentia hujus mesolog. & mei est 55. Differentia mesologarithmorum proximè majoris & minoris asscripta est 12 pro 10 secundis. 12-10-55 f. 46. ferè. Arcus igitur quæsitus est 28 gr. 8 scr. 46 sec.

Quæratur deniq; arcus mesologarithmi 83862— Mesologarithmus proximè minor (respicit enim signum — gradus & scrupula semiquadrantis posterioris) est 83842— competens 66 gr. 37 scr. Differentia hujus Mesolog. & mei est 20. Diff. Mesologarithmorum proximè minoris & majoris est 13 pro 10 secundis.

13—10 sec. —20 f. 15 sec. Itaq; arcus quæsitus integer est 66 gr. 37 scrupp. 15 sec.

Quod si logarithmus aut mesologarithmus cadat inter logarithmos aut mesologarithmos primi gradus non completi; quæratur in Tabula tertia: ibi enim sive exactus sive saltem proximus ostendit respondentia scrupp: prima in fronte, & secunda in margine sinistro.

Sit

Sit logarithmus 493867. Hic versatur intra logarithmos 24 scr. & 25 sec. primi gradus non completi. Quæratur igitur in Tabula tertia, in columna tituli 24 Prim. Proximus illi est 493848, & ostendit 24 scr. 38 sec.

Sit Mesologarithmus 413032. Versatur hic intra logarith. 55 scr. & 56. sec. Quæsitus itaq; in Tabula tertia primùm proximus illi Logarithmus 413044 minuatur numero in calce ejus columellæ subjuncto 13, ut restet mesologarithmus 413031. Subtrahantur etiã in sequenti logarithmo eadem 13, ut restet mesologarithmus 413001. Priori noster quam proximus est, ideoq; ipsi competunt 55 scr. prima 16. sec.

In Triangulis autem Planis latera sunt lineæ rectæ, definiendæ numeris absolutis per logarithmos Tabulâ primâ comprehensos. Quæ ipsa Laterum inquisitio pluribus eget regulis & cautelis. Nempe, cum ad Planorum Trigonometriam necessariò requiratur cognitio saltem unius lateris,

I. *Si istud datum Latus constitit meris numeris integris absq; ullis scrupulis denariis, neq; major fuit numero* 10000, *nec in operatione arithmetica accessit additio alicujus numeri asscititii suprà indicatorum*, 230258, 460517 *&c. Logarithmus proveniens est ipse log. Lateris quæsiti. Qui si in Tabula prima reperitur exactus, centenarius in fronte columellæ, & compositus in margine, ostendunt ipsum Latus quæsitum. Ut, logarithmi* 37482 *numerus absolutus est* 6874. *Sin autem non invenitur exactus, indicium est, numerum absolutum lateris habere etiam scrupula sive decalepta, quæ more Tabulis vulgaribus usitato colliguntur. Nam ut differentia logarithmorum proximè majoris & minoris est ad* 10 *scrupula prima (vel* 100 *secunda, vel* 1000 *tertia &c) sic differentia logarithmi proximè majoris & mei est ad scrupula proportionalia.*

Detur logarithmus 45686 & quæratur ejus numerus vulgaris. Logarithmus proxime major 45696 dat 6332,

 Diffe-

Differentia à ſequente eſt 16. Diff. à meo eſt 10. Si igitur decalepta cupio tantùm prima, colligo: 16—10 ſcrup. —10. Si cupio etiam ſecunda, colligo: 16— 100. —10 Si cupio tertia, colligo 16—1000—10. & ita deinceps, Cupiam autem prima & ſecunda; itaq; proveniunt (regulâ proportionum peractâ) 6 ſcr. 2 ſec. cum ſemiſſe. Numerus igitur abſolutus exactus evadit 6332. 6/2//

2. *Si latus datum conſtitit meris decaleptis, logarithmi etiã provenientis numer⁹ abſolutus (ſive latus quæſitum) eſt decaleptorum, ita ut ultima ejus nota cenſenda ſit ſimilis ultimæ numeri ſive lateris dati.*

/ // ///////

Exempli gratia, ſi latus datum fuiſſet 3 4 5 6, & ex operatione proveniret logarithmus 96822 (quot ſit ſi angulus dato lateri oppoſ: ſit 64 gr. 10 min. & angulus quæſito lateri oppoſitus 81 gr. 30 ſcr.) oſtendit is quidem latus quęſitũ 3797 cum ſem: ſed non partium integrarum, ſed tantum ſcrupulorum, ita ut ultima nota 7 ſit Quartorum, quotorum ſcilicet eſt ultima nota lateris dati, ac proinde (cum logarithmus 96822 non extet in Tabula exactus) fractio adhærens (p. part. prop. inquiſita) non eſt niſi 5 Quintorum.

3. *Sic ſi latus datum fuit partium quidem integrarum ſed tamen cum adhærentibus decaleptis; lateris etiam quæſiti per logarithmum provenientem excerpti nota ultima ſimilis cenſeatur ultimæ lateris dati.*

/ //

Ut ſi latus datum fuiſſet partium 34. 5 6, & ex operatione proveniret logarith 1⁹ 96822, oſtendens 3797 1/2 ultima hujus numeri ſive lateris quæſiti nota 7 eſt ſcrupulorum ſecundorum, quemadmodum ultima nota lateris dati: ac proinde latus quæſitum cenſeatur partium

// / // ///

37. 97 cum ſemiſſe, ſive 9 7 5.

4. *Si datum latus fuit numeri (vel integri vel cum decaleptis) myriadem excedentis, logarithmus proveniens oſtendet latus quæſitum tot notis finalibus mutilum, quot*

notis

notis finalibus latus datum ante operationem fuit curtatum. Proinde

Si à latere dato ante operationem fuerint

resectæ notæ	*una,* *duæ,* *tres,* 4, 5, 6 &c.	*Sicut se habet differentia logarithm. prox. majoris & minoris ad*	10, 100, 1000, 10000, 100000, 1000000	*sic se habet*

differentia logarithmi provenientis & proximè majoris ad notas finales lateri mutilo ad ejus integrationem apponendas. Hoc est, differentia provenientis & proximè majoris, tot cifris, quot notæ finales desiderantur, aucta dividatur in differentiam logg. proximè majoris & minoris; Quotus dabit notas desideratas. Consequenter si logarithmus proveniens exactè reperiatur in Tabula, numero quem ostendit absoluto apponantur tot cifræ sive o, quot à latere dato resectæ fuerant notæ finales, sive resectæ fuerint cifræ sive significativæ.

Exempli gratia, si latus datum fuisset 362500, ita ut pro logarithmo ejus excerpendo resecari oportuerit finales duas, siq; post operationem proveniret logarithmus 152556; extat hic in Tabula exactè & respondet numero absoluto 2175 tanquam lateri quæsito, sed finalibus duabus mutilo. Apponantur igitur 00 (pro numero sc. resectarum à latere dato) ut latus quæsitum fiat integrum 217500.

Si latus datum sit 345600, curtandum itidem notis finalib. duabus, & proveniret logarithmus 96822; proximè major in tabula est 96836, ostendens numerum absolutum 3797 tanquam latus quæsitum, sed notis duabus (pro numero resectarum à latere dato) mutilú. Proinde hæ duæ notæ acquirantur hoc modo:

Log. prox. major	96836		idem 96836
prox minor	96810		noster 96822
Diff.	26	—100—	14

Operatione per auream regulam peractâ proveniunt 54. Totum itaq; latus quæsitum est 379754.

Notandum, si resectæ notæ fuerint decaleptorum, locum hîc etiã habere regulam 2. & 3. ut scilicet acquisitarum nota ultima asciscat apices ultimæ resectarum.

5. Si in subtractione logarithmorum subtrahendus fuerit major reliquo, ut pro subtractione perficienda isti reliquo sit additus è suprà memoratis ascititiis aliquis,

NB.

nempe { 230258 / 460517 } *logarithmus ultimò proveniens ostendit numerũ sive latus quæsitum mutilum notis finalibus* { *unâ* / *duabus* } *quę propterea per regulas jam modò traditas acquirantur & apponantur.*

Consequenter si logarithmus ultimò proveniens exactè in Tabula extat, numero per eum ostenso apponatur 0 *vel* 00. *ut regulâ 4.*

Exempla.

Sit primò Trianguli obliquanguli latus aliquod partium 8130, angulus eidem oppositus 21 gr. 6 scr. angulus quæsito lateri oppositus 77 gr. 9 scr. Hujus logarithmus 2536 additus dati lateris logarithmo 20702, conficit summam 23238. Ab hac subtrahendus est anguli primi logarithmus 102166, quod fieri nequit. Addatur igitur summæ additorum logg. numerus adscititius 230258 (sufficit enim hic) & à nova summa 253496 jam fiat subtractio logarithmi 102166: Residuum 151330 est logarithmus numeri 2201, qui est latus quæsitum, sed unâ notâ finali mutilum. Differentia logarithmi provenientis & proximè majoris in Tabula est 37: differentia proximè majoris & minoris 46. Collige:

46—10—37. f. 8. Integrum itaq; latus quæsitum est 22018.

Esto deinde Trianguli obliq. latus partium 9500, angulus illi oppositus tantùm 3 gr. 27 scrup. cujus logarithmus 281046, angulus quæsito lateri oppositus 84 grad. 16 scrupp.

Hujus logarithmus	501	
Log. lateris dati	5129	
Summa	5630	longè minor subtrahendo.
Adde igitur	460517	
Ut fiat ſnmma	466147	
Jam ſubtrahe	281046	
Reſtat logar.	185101	(notis duab. mutilû.
Proxime major	185151	(1570. Latus quæſitû ſed
Diff.	50	Diff. prox. maj. & min. eſt 64

Collige igitur: 64.—100—50. f. 78. Latus igitur quæſitum integrum eſt 157078.

Calculus per Sinus ad Radium 5. cifrarum præbet tantùm 157070 ſed ad radium majorem (e. g. 7. vel 8. cifr.) inſtitutus præbet 157077. *Differentia hæc unitatis in tam grandi numero nullius eſt momenti; Obſervandum potius, ſi poſteriores lateris dati notæ fuerint decalepta, etiam poſteriores lateris quæſiti fore decalepta, poſtremam tot apisum quot poſtrema lateris dati, juxta Reg. 2. & 3.*

Et hactenus Præcognita Logarithmica.

PRAXIS TRIGONOMETRIÆ LOGARITHMICÆ.

REGULA GENERALIS.

AD Proportiones Trigonometriæ vulgaris logarithmicè expediendas, pro Sinu alicujus arcus ſubſtitue ejusdem arcus logarithmum; (& ita pro Sinu Toto ſubſtitue 0;) *pro ſinu complementi, Antilogarithmum; pro Tangente, Meſologarithmum; pro Secante, Antilogarithmum cum ſigno defectivo; pro Latere deniq. rectilineo, logarithmum Tabulæ Primæ; quo facto, à ſum-*

à summa logarithmorum (vel antilogg. vel mesologg. pro conditione Proportionis Trigonometricæ) *secundi & tertii subtrahe logarithmum Primi : & proveniet logarithmus* (antilog. mesolog.) *quæsiti.*

CONSECTARIUM. *Itaq; si primo loco Proportionis vulgaris sit sinus totus, operatio absolvitur solâ additione : si Sinus Totus fuerit secundo vel tertio loco, operatio perficitur solâ subtractione.*

Sed subjiciendæ sunt regulæ speciales.

TRIGONOMETRIA PLANORUM.

I. RECTANGULORUM.

IN TRIANGULO RECTANGULO *si quæratur* HYPOTENUSA E datis lateribus reliquis :

Logarithmus lateris majoris subtrahatur à logarithmo lateris minoris ; residuo (tanquam mesologarithmo anguli minoris) respondens logarithmus subtractus à logarithmo lateris minoris relinquit logarithmum hypotenusæ.

Esto latus unum 300, alterum 400.

300. Logar.	350656	
400. Logar.	321887.	
Mesolog.	28769	(ang. 36° 52′ 11″ circ. Cui
respondet Logar.	51083	subtr. a log. lat. min.
restat Logar.	299573	(500. Hypotenusa quæsita

Si tamen data latera non fuerint singula majora numero 3000, Tabula Quarta præbet compendium expeditius.

tius. Nimirum data latera singula, tanquam scrupula sexagenaria Secunda æstimata, redigantur in scrupula prima; cumq; illis & (si qua è divisione sive reductione superfuerint) Secundis excerpantur respondentes antilogarithmi: Summa antilogarithmorum est Antilogarithmus Scrupulorum primorum & secundorum, quæ in mera secunda resoluta dant hypotenusam quæsitam.

Ut in priori exemplo; 300 secunda sunt $5'\,0''$; 400 secunda sunt 6 prima, 40 sec.

$5'\,0''$ antilog. 0. 106
$6'\,40''$ antilog. 0. 188

0. 294 ($8'\,20''$ .i. 500. secunda.
Hypotenusa, inquam, est 500.

Sic si latera sint 2550. 1864. Singula, tanquam scr. sexag secunda, reducta in prima, fiunt

$48'\,20''$ Antilog. 9.884
& $36'\,15''$ Antilog. 5.559

15.443 ($60'\,25''$ .i. $3625''$. Hypot. quæsita.

Quod si antilogarithmorum alter excerpatur è tabulæ pag. prima, alter è reliquarum aliqua, attendatur cautio pag. 17. (initio) indicata.

Ex angulis acutis & uno latere:

(Dato uno acutorum datus est & alter, ut ejus complementum ad 90 gradus)

Logarithmus anguli dato lateri oppositi subtractus à logarithmo dati lateris relinquit logarithmum hypotenusæ.

Detur latus 300, angulus illi oppositus $36°\,52'\,11''$.

Logar. lateris 350656
Logar. anguli 51083.

Logar. Hypot. 299573 (500.

Vel, (quod eodem recidit) Antilogarithmus defectivus anguli dato lateri adjacentis additus Cossicè logarithmo lateris exhibet logarithmum hypotenusæ.

LATUS

Latus Angulo Recto Adiacens.

E Lateribus reliquis:

Logarithmus hypotenusæ subtractus à logarithmo lateris reliqui relinquit logarithmum anguli dato lateri oppositi. Cujus anguli antilogarithmus additus logarithmo hypotenusæ componit logarithmum lateris quæsiti.

Sit hypotenusa 500: latus minus 300. quæratur alterũ.

Logar. Lateris	350656	
Log.hypotenusæ	299573 S.	
		° ′ ″
Log.anguli oppos.	51083	(36 52 11.
Antilogarithmus	22314 add. ad log.hypot.	
Log.lateris quæsiti	321887	(400.

Si tamen hypotenusa non excedat (vel saltem non multum excedat) numerum 4300, Compendium per antilogarithmos est, ut erat in quærenda hypotenusa: nisi quod hic antilogarithmi non addantur sed subtrahantur.

Sit hypotenusa 3625 .i. (si numerus concipiatur ut scrupp. sexagenaria secunda) 1 gr. 0 scr. 25 sec. & latus reliquum 1864 .i. 36 scrupp. 15 sec.

°	′	″		
1	0	25	Antilog.	15.443
	36	15	Antilog.	5.559 S.
				′ ″ ‴
				9.884 (48 20 .i. 2550.

Et notetur cautio de antilogarithmorum excerptione pag. 17. (initio) tradita.

Ex angulis & hypotenusa:

Summa logarithmorum hypotenusæ & anguli, lateri quæsito oppositi, est logarithmus lateris quæsiti.

Sit hypotenusa 500. ang. quęsito lat. oppos. 53° 7′ 49″.

Logarith. hypotenusæ	299573
Logarith. anguli	22314
Logar. lateris quæsiti	321887 (40.

Ex angulis & altero circa rectum latere:

Summa (Coßica, si res poscat) logarithmi lateris & mesologarithmi anguli quæsito lateri oppositi, est logarithmus lateris quæsiti. Vel, non attentis signis coßicis, si detur latus

Majus; Summa logarithmi lateris & mesologarithmi anguli quæsito lateri oppositi, est logarithmus lateris quæsiti.

Minus; Mesologarithmus dicti anguli subtractus a logarithmo lateris relinquit logarithmum lateris quæsiti.

Detur primò latus majus 500, & angulus minori lateri oppositus 36 grad. 52 scrupp. 11 sec.

Logarithmus lateris	321887
Mesologar. anguli	28769
Logar. lateris quæsiti	350656 (300.

Detur deinde latus minus 300, & angulus majori lateri oppositus 53 grad 7 scrupp. 49. sec.

Logarithmus Lateris	350656
Mesologar. anguli	28769 S.
Logar. Lat. quæsiti	321887 (400.

Detur Latus Minus 9500, & ang. maj. opp. 88 gr. 27 m.

Logarith. lateris	5129. longe minor Mesologo.
Adde igitur adscit.	460517
	465646
Mesologar. anguli	360973
Logarith. lateris	104673 (3510 latus quæsitū sed
Proxime major.	104697 notis duab. final. mutilū.

Diff. 24. Diff. logarithmor. prox. majoris & minoris— 29. Collige: 29—100—24 f, 83. Latus igitur quæsitum integrum est 351083.

Angulus Acutus.

E lateribus angulum rectum comprehendentibus:

Logarithmus lateris majoris subtractus à logarithmo minoris relinquit mesologarithmum anguli minoris: cujus complementum ad 90 gr. est angulus major, si is quæritur

Et iste mesologarithmus semper est abundans, ne quis de Algebra sit sollicitus.

Dentur latera 300. 400. quærantur anguli.

Logar. lateris minoris	350656			
majoris	321887			
			′	″
Mesolog. ang. minoris	28769	(36	52	11.
Igitur angulus major — —		53	7	49.

Ex hypotenusa & latere, quod quæsito angulo opponitur:

Logarithmus hypotenusæ subtractus à logarithmo dati lateris relinquit logarithmum anguli quæsiti.

Sit hypotenusa 500, latus quæsito angulo oppositum 400.

Logar. Lateris	321887			
Log hypotenusæ	299573			
		o	′	″
Log. ang. quæsiti	22314	(53	7	49.

Ex hypotenusa & latere quod quæsito angulo adjacet;

Logarithmus hypotenusæ subtractus à logarithmo dati lateris relinquit antilogarithmum anguli quæsiti.

Sit iterum hypotenusa 500. latus angulo quæsito adjacens 300.

Logar. lateris	350656			
Logar. hypoten.	299573			
		o	′	″
Antilog. ang. quæs.	51083	(53	7	49.

II. OBLIQUANGULORUM.

IN TRIANGULO OBLIQUANGULO *si quæratur* LATUS.

Ex angulis & uno latere:

(Datis duobus angulis tertius est eorum additorum Complementum ad 180 gr.)

A Summa logarithmorum dati lateris & anguli quæsito lateri oppositi subtractus logarithmus anguli dato lateri oppositi relinquit logarithmum lateris quæsiti.

Sit latus partium 225, angulus illi oppositus 29 gr. 15 scrupp angulus alius 72 gr. 15 scrupp. quæratur latus huic oppositum.

72 gr. 15 scr. Log. 4877
225. Log. 379424

384301
29 gr. 15. sc. Log. 71617 S.

Log. lat. quæsiti 312684 (438 cum semisse.

Vel, ut unâ operâ etiam scrupula lateris denaria prima lucremur, & evitemus grandes logarithmorum proximi minoris & majoris differentias, assumendo latus datum 2250 scr. 72 gr. 15. scr. Log. 4877

2250. Log. 149165

154042
29 gr. 15 scr. Log. 71617 S.

Log. lateris quæsiti 82425 (438. 5′ 6″

Exempla plura habes pag. 24.

ANGULUS.

E duobus lateribus & angulo illis comprehenso:

A Summa (Cossica, si res poscat) Mesologarithmi dimidiæ reliquorum (ignotorum) angulorum summæ & logarithmi differentiæ laterum subtractus (cossicè, si opus) logarithmus summæ laterum relinquit mesologarithmum anguli, à dimidia ignotorum angulorum summa subtrahendi, ut prodeat ignotorum minor; aut eidem dimidiæ summæ addendi, ut prodeat major.

[Angulus iste addendus, vel subtrahendus, usitatè dici-

dicitur *Angulus differentiæ angulorum*, sc. unius ignotorum supra vel infra dimidiam utriusq; summã.]

Dentur latera 210. 100. & angulus comprehensus 110 gr. 20 scr. ita ut summa reliquorum duorum ignotorum sit 69 gr. 40 scr. ejusq; summæ dimidium 34 gr. 50 scr. Summa laterum 310. diff. laterum 110.

Log. diffræ laterum 450986—+ (*omnes enim primæ tabulæ logg. sunt abundantes.*)
Mes. semisummæ angulor. 36258—+

Summa ——— 487244—+
Logar. summæ laterum 347377—+ Subtr.

		°	′	″
Mesolog. diffræ. angulor.	139867—+ (	13	52	13
Semisumma angulor. ignotor. erat		34	50	0
Igitur ignotorum minor est ———		20	57	47
major — —		48	42	13.

Aliter: *Ad differentiam logarithmorum Summæ & Differentiæ Laterum additus (coßicè) Mesologarithmus semisummæ ignotorum angulorum producit Mesologarithmum Anguli differentiæ subtrahendi vel addendi, ut antè.*

Ut in priori exemplo:

Logarith. summæ laterum 347377—+
Logarith. diffræ laterum 450986—+

Diff. logarithmor. ——— 103609—+ *Kepplero log. Indicis.*
Mesol. semisummæ ang. ign. 36258—+

Mesol. differentiæ angul. 139867—+ &c.

Aliud exemplum, signis Cossicis diversis. Sint latera 3252. 4860. angulus comprehensus 72 gr. 30 scrupp. ut summa ignotorum sit 107 gr. 30 scrupp. dimidiata 53 grad: 45 scrupp.

3252
4860

Summa lat. 8112. Logar. 20923
Differ. lat. 1608. Logar. 182759

Logarithmus Indicis 161836 semper-+

Logar.

Logar. Indicis	161836 semper +		
Mesol. semisummæ ignot. ang.	31029 — Add. cossice.		
	°	′	″
Mesolog. differentiæ angulor.	130807 + (15	7	41
	53	45	0
Angulus quæsitus Minor	38	37	19
Major	68	52	41

Nota; Si Triangulum sit æquicrurum aut æquilaterum, dato uno angulorum dari statim omnes, ut prolixo calculo non sit opus.

E duobus lateribus & angulo uni eorum opposito:

A Summa logarithmorum dati anguli & lateris quæsito angulo oppositi subtractus logarithmus lateris angulo dato oppositi relinquit logarithmum anguli quæsiti, aut (si is obtusus esse debeat) ejus ad semicirculum complementi.

Est conversa praxeos proportionis Obliquangulorum primæ. Sit itaq; latera, 225. 0′ 438. 56″ & angulus priori oppositus 29 grad. 15 scr. quæratur posteriori oppositus.

° ′		
29 15	Logar.	71617
438.56	Logar.	82425
		154042
225.0	Logar.	149165
	Logar.	4877 (72° 15′. Ang. quæsitus.

Si Triangulum sit æquilaterum aut æquicrurum, dato uno angulorum dati sunt omnes.

Ex omnibus lateribus:

A summa logarithmorum aggregati & differentiæ laterum præter maximum reliquorum subtractus logarithmus lateris maximi relinquit logarithmum segmenti à latere maximo subtrahendi: ut constet residuum. Et tunc

